

citra necessitatem; neque ideò, quòd in præcedd. vox θυσίας per metonymiam ejusmodi, pro θύμα, *victima, hostia*, ponitur; de voce λατρείας, idem statim judicari debet: Nostrates autem *Hannius & Balduinus* ll. cc. non ita tuentur interpretationem de *hostia rationali*, ut non potius semel iterumq; reddant, *cultum rationalem*, eòque nomine *opera* se intelligere declarent: licebit, opinor, Lutheri & plurium sententiam, cui proprietas literæ favet, alteri præferre.

§. 10. Equidem obstare hic videtur, quod phrasis προσήσασαι λατρείας exponi eodem modo debeat, quòd προσήσασαι θυσίας; ita ut rei, quæ sacrificiò aut actu quodam religioso tractatur, exhibitio significetur. Quo spectat illud, quod *Lud. de Dieu* citat locum *Job. XVI. 2.* ubi προσφέρην λατρείας sit offerre *victimam*. Sed petitur id, quod est in principio. Ac potius in ipso etiã isto loco verba rectè vertuntur, *cultum præstare Deo*: juxta *Bezam & Er. Schmidium*; imò ipsam *Lutheri* nostri versionem. Addimus *B. Stolbergium* P. P. Witteberg. qui *Dissert. VI.* de distinctione vocum λατρείας, δαλείας, & ὑπερδελείας, quæ *Tractatui* *Exercitationum Græcæ Linguæ* annexa est, p. 312. λατρέειν, ait, significat *colere DEUM*, sive id fiat per sacrificia, sive per aliud quiddam; & quod ex *Heinsio* itidem affert, notandum, λατρείας non tam designare quàm continere *victimam*, ut proinde hæc loci interpretatio ex voce ipsâ tam strictè non possit urgeri, cum, si vel maximè admitteremus, huc redire posse sensum dicti, ac si putaverint interfectores discipulorum Christi, se eo ipso sacrificium Deo offerre, vi vocis λατρείας id præcisè non possit probari.

§. 11. Quia aliàs à cognitione vocabulorum in cognitionem rerum optimè deducimur, excutiemus paulò diligentius, quid sibi velint voces nostræ: λατρεία & λογική, juxta varias variorum Interpretum sententias. Versio *Vulgata* expressit vocem, λατρείας, per *obsequium*. Retinet idem vocabulum

*Lyra*